Fragmentarium

in postremo apud deum gaudebit et anima sua in celo mirificabitur in secula seculorum. A m e n

Solet queri cur pre aliis scripturis in ecclesia psalmi cantentur. quod ideo est quia antiquitus apud ebreos mos iste in templo dei erat. uel quia plus misteriorum quam cetere continent in quibus omnis lex et prophete et euangelium constant. Ante peccatum dauid cum uxore urie et de penitentia cecinit. Miserere mei. quia filius eius persequeretur eum. Unde etiam quidam. s. ab hesdra propheta in structu diuino tota ordinata creduntur. Alia. Deus hominem fecit perfectum et talem scilicet quod posset et uelle bonum et non uelle et hoc est arbitrium liberum scilicet uelle et nolle. Et absolutum hoc uelle est suum hominis per naturam dicitur. in sapientia nostrum est uelle. dei autem perficere nostrum scilicet per naturam. Et apostolus. Velle quidem michi adiacet per naturam scilicet hoc uelle et hoc bonum dampnauit homo peccando. et quasi extinxit non tamen omnino. quia semper remansit aliqua scintilla boni et quando apostolus dicit. deus operatur uelle. non sic intelligimus quomodo primum ponat in eum uelle. sed uoluntatem que in eo est per naturam. depriuatam et quasi extinctam suscitat et reuiuiscere facit. Sic facimus conuenire ista duo. quod scriptura dicit nostrum est uelle et quod apostolus dicit deus operatur uelle. cum libero arbitrio fecit hominem talem scilicet ut posset uelle bonum et non uelle bonum quia si talem fecisset ut numquam posset nisi uelle bonum inconuertibilem fecisset eum. Inconuertibile autem nichil est. nisi solus deus. qui non potest nisi uelle bonum. Deus autem quare potest id quod est facere autem non potest id quod est. Quod si [illegible] per simile possumus de [illegible] homine uidere [illegible] homo eum generare potest id quod est facere autem non potest id quod est, licet possit imaginem suam depingere in pariete uel in ligno formare. Quia legitur aliqua distantia debet esse inter creaturam et creatorem. potuit deus facere id quod ipse non erat. non id quod ipse erat sicut hominem potentem uelle bonum et non uelle bonum quod ipse deus non est. non hominem non potentem uelle et non uelle bonum quod ipse deus est. Alia. Queritur quare propagatio peccati originalis et introitus mortis in mundum ascribitur primo homini ade et non mulieri uel serpenti cum

utrique peccauerint. pri

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. AA 90.3, 6r – Augustinus, (Pseudo-), De essentia divinitatis; Petrus Damianus, De novissimis et Antichristo; Opuscula varia (https://fragmentarium.ms/view/page/F-5kbv/5162/49454)